



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1725. usque ad annum 1728

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1784

VD18 13322648

§. 14. Gratulatoriæ Benedicti XIII. Papæ epistola ad hujus Synodi Patres.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67667)

Sæc. XVIII.
A. C. 1727

Sanitiensis Diæcesis Regimen Abbati de Saleon postmodum Ruthenarum Episcopo demandavit, eique in Vicarium Generalem nominato injunxit, ut Sanitium delatus Diæcesanam haberet Synodum, cunctisque, qui vel ad S. Ordines, vel ad Beneficia promoverentur, ut formulario, si nondum subscribere, pure & simpliciter subscriberent, præciperet, nec non præfatam Instructionem ex Episcopatus tabulis deleret, aut ex aliis scriptis, si eadem doctrina in iis contineretur, expungeret, nullaque mora Constitutionem *Unigenitus* per universam Diæcesin publicari curaret.

§. XIV.

*Gratulatoria Benedicti XIII. Papæ
epistola ad hujus Synodi
Patres.*

Hujus Synodi acta Embrodunensis Archiepiscopus ad Benedictum XIII. Pontificem Maximum Romam misit, unacum epistola Synodali, in qua Patres non modo Synodi decreta, sed etiam sententiam in Sanitiensem Episcopum pronuntiatam Apostolica auctoritate confirmari, perdemisse petebant. Ad horum igitur preces inclinatus Pontifex die decima septima Decem-

Decembris Roma ad eos has dedit *Sæc. XVIII.*
 literas : *A. C. 1727.*

*Venerabiles Fratres, Salutem &
 Benedictionem.*

„Lætantes percepimus, Vos utpote
 „Filiis genuinos, & fidos doctrinæ
 „veterisque traditionis Custodes ad si-
 „num Matris vestræ recurriffe : Rece-
 „pimus enim decreta, in vestra Sy-
 „nodo Provinciali condita, necnon e-
 „jusdem Concilii epistolam Synodalem,
 „qua Apostolici nostri Ministerii opem
 „implorastis, ut vestra decreta ad tuen-
 „dam unitatem & conservandam disci-
 „plinam Ecclesiasticam confirmentur
 „auctoritate principali hujus sacræ Se-
 „dis, a qua Sacerdotalis Unitas dima-
 „nat, & Episcopatus suam originem
 „in Christo Jesu derivat, & ex qua fa-
 „crum fidei lumen in universam Fran-
 „ciam effusum exortum est. Fructum
 „abunde percepimus diuturnæ sollici-
 „tudinis nostræ, qua veterem morem
 „celebrandi Concilia Provincialia re-
 „staurare, & propagare studuimus,
 „partim exemplo per hanc S. Sedem
 „dato, partim nostris Constitutionibus
 „in Concilio Romano non ita pridem
 „sancitis inculcantes, ut ejusmodi
 „Synodi sæpius haberentur, eoquod

Gg 4

„Tri-

Sæc. XVIII. „Tridentinum Concilium eas tanquam
 A. C. 1727. „ad reprimendos errores, & eliminan-
 „dam morum corruptionem peridoneas
 „commendavit, & quolibet triennio ce-
 „lebrari præcepit, atque antiqua Ecclesia
 „exinde magnos proventus habuit, &
 „tanquam oppido salutare agnovit.
 „Perpendimus, quod dum Galliarum
 „Ecclesiæ in florentissimo hoc Regno
 „ad funestum redactæ fuerint statum
 „& quidem unice ex pertinacia pau-
 „corum Præsulum, qui sui officii im-
 „memores detestanda pervicacia se-
 „Constitutionibus Apostolicis oppo-
 „nunt: Perpendimus, inquam, quod
 „ad tollenda hæc scandala nil oppor-
 „tunius, quam Synodi celebrationem
 „esse, quocirca omnem opem & ope-
 „ram contulimus ad removenda ea om-
 „nia obstacula, quibus Concilia Provin-
 „cialia ad conservandam firmandamque
 „adeo laudabilem consuetudinem utilia
 „præpediri possent. Injunximus igitur
 „Venerabili nostro Fratri Bartholomæo
 „Athenarum Archiepiscopo, nostro ac
 „S. Sedis Nuntio, ut apud Christia-
 „nissimum Regem instaret, nilque in-
 „tentatum relinqueret, ut cunctæ dif-
 „ficultates, quæ objici possent, remo-
 „verentur, & post moram adeo diu-
 „turnam tandem solemniter hæc Con-
 „cilia in omnibus Christi Ecclesiis tan-
 „topere

„topere commendata denuo in Francia
 „reviviscerent. Insuper eidem Vene-
 „rabili Fratri nostro præcepimus, ut
 „solerter invigilet, eoque rem dirigat,
 „ut Episcopi in Concilio congregati
 „obstinatos & refractarios Confratres
 „suos temerario atque illegitimo Ordi-
 „nis ac jurisdictionis suæ exercitio ex-
 „spolient; haud temere enim timui-
 „mus, ne, dum interim hisce malis
 „Canonica opposuerimus remedia, hæc
 „ipsa mora ad impunitatem fovendam
 „præbeat occasionem, ac interea Christi
 „ovæ veris Pastoribus destitutæ, &
 „cæcis Ductoribus concreditæ sensim
 „funesto fato dispergantur. Consultum
 „itaque censuimus, ut tempore op-
 „portuno per Episcoporum Zelum,
 „eorumque charitatem nostra ope, no-
 „stris mandatis & nostra sollicitudine
 „armatam eorum saluti prospiciamus,
 „& Pastoralem horum Episcoporum
 „vigilantiam contra hosce eorum Con-
 „fratres excitemus, qui iudicium a
 „S. Sede antehac pronuntiatum con-
 „temnentes commissum sibi gregem
 „adeo non conservarunt, ut potius il-
 „lum corrumpere pergerent; necesse
 „ergo erat, ut hi ad eum redigantur
 „statum, in quo haud amplius perni-
 „ciosa seductione ovibus nocere valeant.
 „Dum ergo vos, Venerabiles Fratres,

Sæc. XVIII.
 A. C. 1727.

Sæc. XVIII. „vestra sapientia ceteris primos incita-
A. C. 1727. „vit, ut meæ obsecundaretis voluntati,
 „vobis vix exprimere possumus sola-
 „tium, quod ex vestra percepimus sol-
 „licitudine, qua cum tanta prudentia
 „Sanitiensi Episcopo sui Ordinis Epi-
 „scopalis ac Sacerdotalis, & ordina-
 „riæ Jurisdictionis exercitium in vestra
 „Synodo tamdiu interdixistis, donec
 „ad saniora reversus resipiscat, &
 „salutari sua emendatione pœnas ad-
 „huc graviores a S. Sede pro merito
 „culpæ infligendas præveniat, flocci
 „habita ejus appellatione, quam ceu
 „nullam, scandalosam & schismaticam
 „rejecimus, hacque ratione præfato
 „Episcopo vanum illud diffensionis suæ
 „refugium, nonnisi ad fovenda schis-
 „mata aptum subtrahimus. Ut igitur
 „non modo vestris annuamus deside-
 „riis, sed etiam ut petitioni vestræ sa-
 „tisfaciamus, vestra Synodj decreta
 „ad nos transmissa utpote sapientissi-
 „ma æque ac summopere necessaria
 „lubenter approbamus, & promerita
 „laude commendamus prudens vestrum
 „judicium, quod contra contumacem
 „hunc Episcopum tulistis, illud quo-
 „que omni qua valemus, auctoritate
 „nostra confirmamus; Faxit Deus, ut
 „qui pacem ponit usque ad extremum
 „terræ, adsit nostræ sollicitudini &
 „sanctæ

„sanctæ vigilantia vestræ, ut his exem- Sæc. XVIII.
 „plis, nostri Fratres excitentur, & per A. C. 1727.
 „Pastoralem Episcoporum sollicitudinem
 „animabus pretioso sanguine redemptis
 „omnia, quæ possunt, salutis subsidia
 „procurentur, & multi ex Pastoribus
 „adempta seducendi libertate ad pa-
 „cem & veritatem inquirendam stimu-
 „lentur, & tandem ipsimet convin-
 „cantur, veritatem in centro unitatis
 „residere. Vobis vero, Venerabiles
 „Fratres, peramanter nostram imper-
 „timur Benedictionem Apostolicam,
 „tanquam pignus sinceræ nostræ cha-
 „ritatis & gaudii, quod inde concep-
 „mus. Datum Romæ &c.

Has Pontificis literas Embrodu-
 nensis Archiepiscopus ad Sanitiensem
 Episcopum transmisit, easque Massi-
 liæ typis imprimi curavit. Aliis in-
 super literis amplissima laude insigni-
 bus Pontifex eundem Metropolitanam sæ-
 pius honorabat, Rex quoque non modo
 agendi rationem, quam Synodi hujus
 Patres tenuerunt, ratam habebat, sed
 etiam refractarium Præsulem ad Ab-
 batiam Benedictinorum *Sedis Dei* in
 Alvernia relegabat, nonnisi tertia suo-
 rum redituum parte eidem relicta.

§. XV.